

rotundè tantùm 60., sicut modò 120. *sols de France* eunt in eundem. Et unusquisque *Cruciger Germania* tenuisset argenti regii proximè 6. grana: iuif-  
sent ergò in unum *uncialem* 90 $\frac{1}{2}$ . eorundem *crucigerorum*, sive in cursu  
rotundo 90., quales certò non fecerunt *Rhenenses* *Crucigeri* anno 1679.  
Debuissent ergò *Patres ad minus* intellexisse *Cruciatos bonos Germania*, quo-  
rum hodie 136. eunt in sapèdictum *uncialem*.

*Additio.* Quoniam verò *Capitulum generale*, circà an. 1368. habitum, dicendo:  
*non ultra tres solidos paruos Turonensium*, unicè videtur respexisse *valorem*  
*moneta ad monetam*, absque respectu concomitante *ad pretia rerum vena-*  
*lium*, qui còasumi placuit *Capitulo generali* de anno 1679.; nec per *soli-*  
*dum paruum Turonensium* intelligi debet, nisi hoc *specificè exprimat*; solidus  
*duplicium* denariorum *Turonensium*; sic teneo, quòd 12. *denarii illi*, quos  
proprietati fixerant *statuta anni 1259.*, singuli fecerint *tres paruos Turonenses*  
anni 1379.: ex quo vides 1.) *destinationem* denarii magnam intra spatium  
unius seculi, de quà aliàs dixi. 2.) Quòd *denarius ille Sæc. XIII.*, *ad finem*  
*pergentis*, tenuerit argenti regii 9 $\frac{1}{4}$ . grana, atque sic eorundem denariorum  
7. fecerint *drachmam*, & 56. unam *unciam*, argenti regii; cùm tamen Sæc.  
XII. & XIII. *ante medium*, communiter pensarent 11 $\frac{1}{2}$ . grana ejusdem ar-  
genti, & sic tantùm 6. in *drachmam*, & 48. in *unciam*, desiderarentur,  
sicut aliàs de *Trevirorum* quoque denariis ostendi.

Cognito valore *parvorum Turonensium*, qualis fuerat *pro commercio*, nunc sit

## SECTIO II.

### De valore libræ parvorum Turonen- sium in Camerâ, & literis Apostolicis.

§. I. Una de *primitivis*, Sæc. XIV. inter an. 1316., & 1334.  
conditis, *Cancellariæ Apostolicæ Regulis* est hæc, hodieque sub nu-  
mero XXVtæ superstes: *De moneta. Item declaravit Dominus No-*  
*ster, quòd LIBRA TURONENSIVM PARVORVM, & FLORENVS AURI DE*  
*CAMERA, pro equali valore, IN CONCERNENTIBVS LITERAS, & CAME-*  
*RAM APOSTOLICAM, computari, & extimari (æstimari) debeant.\**

\* *Regul. Canc. Benedicti XIV. 18. Aug. 1740.* Extat iisdem ferè verbis in  
*Regulis Cancellariæ impressis Romæ, & in Bibliothecâ S. Simeonis Trevir.*  
*asservatis, Innocentii VIII. 13. Sept. 1484.*, nisi, quòd hìc loco: *Florenus*  
ponatur *Florenensis*, & loco: *Apostolicam, Apostolicas*, quod postremum



verbum, & rectius quidem, ut adjectivum referatur ad utrumque præcedens substantivum, servarunt Regule *Alexandri VI. 27. Aug. 1492.*, & *Julii II. 28. Decembr. 1503.*, pariter ibi reperiendæ.

II. *Inutilem* hoc ævo Regulam esse, ne putes, contrarium sustinentibus *Mandosio*, *Joanne à Chockier*, & *Rebuffo* apud *Rigantium* in eandem num. 5. \*

\* Cùm hodiernum nôsse debeas, quantum solvi debeat, sive ad *Cameram*, sive aliis extra *Cameram*, si litera *Apostolica*, clausa, non clausa, in Corpore Juris, taxam fecerint *per libras parvorum Turonensium*.

III. Regulam sic summavit *J. B. Rigantius* in Commentariis, ad exemplar Romanum *Genevæ* recusus an. 1751. *Tanti valet libra Turonensium parvorum, quanti Florenus auri de Camera*: Sed hæc propositio, ut jacet, hodie non est vera, \* & sic inutilis foret Regula.

\* Per *Florenum auri de Camera* intelligunt omnes Curialista illum *Aureum de Florentia*, unius drachinæ auri optimi, sive 24. caracterum, meliorem adhuc *Ducato Hungarico*, qui & *Ducatus de Camera* est, ac solvitur Romæ in Curia per unum scutum auri, adjecto uno *Julio* argenteo, ascenditque *scutus aureus* ad 16½ Julios. *Rigantius* loc. cit. *Libra* verò *parvorum Turonensium*, si eam accipias juxta §. IX. & X. Sect. 1., non fuit plus uno unciali moderno Gallicæ; quis dabit pro isto *Ducatum auri*? Si verò acceperis *libram parvorum Turonensium* pro 20. solidis istorum, sicut ibid. §. XII.; tunc valet 1½ uncialibus præactis, pro quibus nemo tibi dabit eundem *Ducatum*, imo nequidem pro 1½ unciali; cùm valeat modò *Ducatus 5. florenis Kbenensibus* in argenteâ monetâ.

IV. Non ergò existimandum est, hoc velle Regulam, quòd *omni tempore* in Romanâ Curia manserit *eadem proportio argenti ad aurum*, quæ fuit *Sæc. XIV.*, sic, ut constanter, & nunc acceptaretur *libra parvorum Turonensium* pro *Ducato*, vel *Floreno auri de Camera*; nam contrarium Romæ præticatur. \*

\* Ipse *Rigantius* loc. cit. num. 12. refert Consultum Congregationis particularis S. R. E. Cardinalium d. d. 7. Jan. 1710., per quod solutio fieri debet in auro, & si aurum pluris valeat, solvique velit in argento, non sufficit minor hodiernâ proportio: propter quod ipsum *scutum Romanum auri in auro*, valens ab initio sub *Leone X. undecim tantum Julii*, excrevit sue-



cessivè ad 15. Julios, & sub *Alexandro VIII.* ad 16., postèa ad 16  $\frac{1}{2}$  sub *Clemente XI.*; contra quod cum murmurarent *Sollicitatores* literarum Apostolicarum *Gallicani*, vulgò *les Banquiers*; ipse *Rigantius* dedit sententiam juris contrarium in idiomate Italico, idque propter auctum auri pretium, atque mutatam proportionem ejus ad argentum; id quod valdè naturale est, supposito, quòd debeatur *aurum in auro*, sive, quod idem est, *Ducatus in specie*.

V. Sed Regula sic est intelligenda, quòd, quotiescunque *Papa se explicat in literis* per libras parvorum *Turonensium*, semper sub nomine unius libræ intelligat *florenum auri de Camera*, i. e. Ducatum optimum, velut illum Regni *Hungariæ*: \* sive pro una illa libra, prout monetarum ære mixtarum congeries est, in commercio detur *Ducatus*, sive non.

\* Et sic *Papa* non dixit, se acceptaturum esse unam libram parvorum *Turonensium* loco unius *Ducati*, sed, quando sibi, *Camera*, aliis in vim taxæ Apostolicæ, solvenda sunt tot libra parvorum *Turonensium*, idem esse, ac si taxasset *Papa*, tot *Ducatos* solvi debere: igitur moneta significans, nempe libra parvorum *Turonensium*, nequit solvi in semetipsa, sed in suo significato, quod est *Ducatus auri*; & si adhuc hodie currerent *Turonenses parvi*, ejusdem bonitatis, ejus erant e. g. an. 1313., non sufficeret pro librâ, in literis Apostolicis taxatâ, solvere 15. vel 20. solidos parvorum, sed tot, ut valore suo interno peraquarent currentem proportionem argenti ad aurum, quæ recentiore ævo nimis variavit.

VI. Quòd autem *Papæ* antiquitùs sumpserint libram parvorum *Turonensium*, & *Florenum auri de Camera*, pro rebus synonymis, in causâ fuit; quia ante medium *Sæculi XIV* hæc duo in ipso etiam commercio sic æqualebant, ut pro libra 15. solidorum *Turon.* daretur *florenus parvus de Florentia*, *Florentini*, seu *Moguntini*, ponderis, & legis; ac vice versâ pro uno *Floreno parvo de Florentia* commutarentur 15. solidi parvorum *Turonensium*. \*

\* Hos 15. solidos olim pro libra computatos fuisse, suprà ostendi §. IX. & XI. Sect. 1. Et hoc sensu verum dixit *Rigantius* h. l. num. 3., quòd ex duodecim illis *Turonensibus argenteis*, de quibus loquitur *Extravag. Vas electionis* §. per rō de Censib. int. com., libra constituatur; non utique libra ponderis 12. unciarum, vel 20. solidorum, qui vulgariter dicuntur *Germanis*



Loth; erant quippè tantum unica uncia nostras argenti 15. lotonum; sed libra Germanicorum Hallensium, i. e. 240. Hallenses, Hellere, aut libra parvorum Turonensium, computando hanc libram, non per 20., sed per 15. duntaxat solidos numerales parvorum, in unumquemque solidum 12. parvos conjiciendo: 15. igitur solidi fecerunt 180. parvos, æquivalentes uni moderno unciali Gallix, ad quem sustendum tantum requiruntur 120. petiæ de illis, quæ modò vocantur *solidi, sols*, in Galliâ, & idèd pro una tertia meliores sunt parvis Turonensibus. Supradicti verò Turonenses argentei quorum 12. æquivaluère uni floreno auri Sæc. XIV., pensârunt singuli 2. scripula legis 15. lotonum: quilibet valuit 15. parvos Turonenses: ergò florenus auri, duodecim Turonenses, & 15. solidi parvorum Turon., erat unum, idèmque.

VII. Sed hoc postea immutato, nihilominus Papa in literis Apostolicis, & rebus Cameram Apostolicam concernentibus, exprimens libram parvorum Turonensium censetur exprimere Ducatum auri de Camera. \*

\* Imò verò, teste Rigantio ad Reg. Cancel. 55. num. 18., de moderno stylo Curix Romanæ omnis moneta in Gratiis Apostolicis, in quibus de illâ facienda est mentio, reducitur ad Ducatos auri de Camera, & sic exprimitur, tam in literis Apostolicis, quàm in supplicatione, licet per eand. reg. licuerit, valorem verum annuum beneficiorum exprimere per Marchas argenti, aut Sterlingos, vel LIBRAS TURONENSIVM PARVORUM, seu Florenos auri, aut Ducatos, vel uncias auri, seu aliam monetam, secundum communem æstimationem. Antehac verò, si dixisses, beneficium valere 100. libras parvorum Turonensium, putans centies 15. solidos eorum, sive 100. unciales Gallix, te decepisses; nam Curia intellexisset, tuum beneficium valere 100. Ducatos.

Aditio. Huc etiam refer regulam Cancellariæ 72., quæ permittit Vice-Cancellario Papæ, ut ipse possit signare supplicationes de beneficiis, quorum valor annuus non excedit valorem 100. Florenorum auri de Camera, vel totidem librarum Turonensium parvorum: potest enim signare, etiamsi valor annuus excederet 100. unciales Gallix, & adhuc plures; dum modò non 100. Ducatos.

VIII. Ex quibus explicatis patet nunc, quantam pecuniæ summam Extravag. Salvator 5. Joan. XXII. de præb. int. com. an. 1316. constituerit Episcopatu Tholosano, tanquam sufficientem, nempe quinque millia librarum Turonensium annui redditus. \*

\* Loquitur Papa in literis Apostolicis, nec adjecit verba; usualis moneta; hinc



non intellexit tantum 5. millia uncialium Gallie, sed 5. millia Ducatorum.

IX. Fluit quoque spontè interpretatio Constitutionis Benedicti XII., an. 1336. ad promovenda Monachorum studia editæ, in *Tom. I. Bullarii magni* pag. 222. cap. 6.

\* Nempè Monachus extraneus, qui *Theologiam*, vel *Jus Canonicum*, in aliquo Monasterio docet, accipiet, prater victum, & vestitum annuè pro salario doctioris pensionem, qua 20. librarum *Turonensium parvorum summam non excedat*: Monachus de monasterio docens accipiet pro libris emendis, vel aliis suis necessitatibus, juxta dispositionem Superioris, ultra victum, & vestitum, annuè 10. libras *Turonenses*. Et cap. 8. dabuntur Monacho, extra monasterium in studio generali, sive Universitate, legenti, *Magistro* in Theologiâ sexaginta, sed *Baccalaureo*, nec non *scholari* Theologiæ, quinquaginta; *Doctori Decretorum, jura canonica* in hujusmodi studio legenti, quinquaginta, *Baccalaureo* autem, seu *scholari Canonistæ* triginta quinque libra *Turonensium parvorum*, vel earum valor in aliâ monetâ, pro victualibus, vestimentis, libris, & quibuslibet necessitatibus. Quia Pontifex hic locutus est, hinc dabuntur eisdem *Ducati*. Sed, postquam interea rerum pretia sunt aucta; nec ubique sunt eadem; hinc quoad monachos, ad studia generalia missos, hæc constitutio teneri non potest hodie: quoad Professores extraneos, qui docendi causâ vocantur ad monasteria, Abbates solent ipsâ Bullâ esse generosiores; quoad Lectores verò suos de Domo tantò parciores; quibus misellis sufficit honos *Professura* cum suo tædio, & quies nocturna à matutinis; nisi, cum Abbas, ipse doctus, studiorum amans est, & sic agnoscit penitentiâ veritatem ejus, quod dicebat *Benedictus XII.* loc. cit., per studium sacra pagina ad cognitionem excellentiâ divinâ familiariùs perveniri, ac per agnitionem humani juris animum rationabiliorem effici, & ad justitiâ certius efformari; sicut *Trevirenses* nostræ Abbatix, tam propè, quàm ultra *Metropolim*, talium Præfulum zelo feliciter in Domino cum eximiis suis PP. Lectoribus gaudent, & gloriantur.

